

corpus, at si esset ens actu, esset corpus, ergo non est ens actu, sed ens in potentia. Maiorem communiter admittunt Physici, minor verò probatur: Omnis substantia materialis actu ens, vel est forma, vel corpus, sed secundum te materia est actu ens. & tamen non est forma, ergo est corpus, quod tamen non admittit Aristoteles. neque ipse Scotus, ergo neque debet admittere Scotus, quòd materia sit quidam actus.

Decima octava.

*Decima octava.* Si materia esset quidam actus, generatio, & alteratio non differrent, sed hoc falsum, ergo prius; Minor patet, maior probatur; generatio differt ab alteratione ex Aristotele *primo de generatione*, & Auerroë *primo Physicorum commento* 63. quòd in generatione mutetur nomen, & definitio, sed non in alteratione, atqui si materia haberet propriam actualitatem in transmutatione non amitteret nomen, nec definitionem, quia quod retinet suum actum, retinet suam quidditatem, & definitionem.

Decima nona.

*Decima nona.* In quolibet genere, quod est potentiale, non est actus in illo genere, ergo quod est potentiale in genere substantiæ, non est actus in genere substantiæ, igitur cum materia sit quid potentiale in genere substantiæ, nullo modo erit actus in genere substantiæ; sed nunquam est extra genus substantiæ, ergo semper est quid potentiale.

Vigesima.

*Vigesima.* Quod neque est quale, neque quantum, &c. nullo modo est actus: sed ex Aristotele vulgariter recepto materia neque est qualis, neque quanta, &c. ergo nullatenus est actus.

### SVBDIVISIO CLYPEI.

Nam. 1. Decem pertinentur rationes, quòd materia 1. propria non habeat existentiam. Prob. primo.

Quòd materia prima nullam de se habeat existentiam, sed existat existentia formæ asserunt Thomistæ, at tamen dupliciter potest intelligi, quòd materia habeat existentiam à forma. *Primo*, Ita ut per existentiam formæ formaliter existat ipsa materia. *Secundo*, Quòd forma adueniens composito tribuat materiæ aliquam existentiam propriam materiæ, quæ non sit existentia formæ, quam tamen existentiam non habeat materia, nisi à forma, eiusque beneficio. Quidam Thomistæ secundum priorem modum videntur loqui, alij iuxta secundum, sed tam hi, quam illi contendunt nullo modo materiam posse sine forma existere nequidem diuinitus.

Probant ergo suam opinionem: *Primo*, Si existeret absque omni forma, simul esset, & non esset. Probatur: impossibile est effectum formalem separari à forma: sed existere est effectus formalis formæ, sic enim definitur, forma est quæ dat esse rei, ergo impossibile est ponere existentiam sine forma, sicut impossibile est ponere album sine albedine, ita esse in actu sine actu, actus autem primus, cuius est dare esse idem est ac forma, ex illa ergo propositione, materia existit absque omni forma, sequerentur duo contradictoria vera simul, ex eo enim quòd materia existat, sequitur, quòd sit in actu, ex eo verò, quòd sit absque omni forma, sequitur, quòd

non sit in actu, quod argumentum desumunt Thomistæ ex Commentatore *secundo Physicorum commento*. 12. ubi hæc ait, forma non separatur à materia in esse ita ut possit esse sine materia, sed est separata à materia secundum definitionem tantum, materia autem differt à forma, sed nunquam denudatur à forma, imò cum separatur à forma, induit aliam, quoniam si nudaretur omnibus formis, tunc quod non est in actu, esset in actu.

Secundo.

*Secundo.* Si materia ex se haberet existentiam, essent tres existentia in quolibet composito, scilicet existentia formæ, compositi, & materiæ, at hoc est absurdum, vnus namque rei vnus est esse, vnâque existentia, sicut est vnus res.

Tertio.

*Tertio.* Omne indiuiduum determinatum ad genus completum, vel incompletum in rerum natura per se existens est in aliqua certa specie per se vel reductiue: sed materia sola neque per se, neque reductiue est in aliqua certa specie, ergo materia sola non potest esse indiuiduum quocumque in rerum natura per se existens. Minor probatur, non enim facile est fingere, in qua determinata specie esset materia sola. Maior probatur ex eo, quòd indiuiduum omne tam completum, quam incompletum, si per se existat in rerum natura, determinet aliquod genus, sed quod determinat aliquod genus, determinat sibi aliquam certam speciem illius generis, si itaque materia sola spectata determinet sibi genus substantiæ, ergo debet sibi determinare aliquam certam speciem substantiæ saltem reductiue, ergo materia sola esset in aliqua certa specie. At hoc est falsum, nam nihil ponitur in aliqua certa specie, nisi per formam.

Quarto.

*Quarto.* Si materia prima haberet ex se peculiarem sibi quædam existentiam, saltem aliquando naturaliter existeret sine forma, experientia verò docet contrarium. Deinde Aristoteles *quarto Metaph.* dicit, quòd materia sit potentia, quia progredi potest ad formam, cum verò sit actu, tunc est in forma, quibus verbis ostendit Aristoteles materiam actu esse in rerum natura per formam: sed actu est per existentiam, ergo existit per formam, & non à se.

Quinto.

*Quinto.* Ita se habeat forma ad materiam, quemadmodum corpus ad figuras: sed Deus non potest facere corpus absque figuris, ergo nec materiam sine forma.

Sexto.

*Sexto.* Implicat aliquid esse sub actu primo, & non esse in actu: sed si materia esset sine forma, esset in actu, & non in actu; In actu quidem, quia existeret: non esset verò in actu, quia non esset constituta in aliqua specie, nec vllam haberet formam, ergo nec actum, quia forma propriè est actus.

Septimo.

*Septimo.* Quæ verius faciunt vnum, minus sunt separabilia, sed materia, & forma verius faciunt vnum, quam passio cum proprio subiecto, ergo sunt minus separabilia, quam passio, & subiectum: sed Deus non potest facere subiectum sine propria passione, ergo nec materiam sine forma, cum enim ex opinione Scotistarum passio non distingatur à suo subiecto, nisi formaliter, non poterit separari à suo subiecto nequidem diuinitus.

Octavo.